

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0929

0927

0933

0923

0938

0918

0978

0878

1028

0828

0428

Ende

Anfang

356

et silvestribus arboribus repleta, et contra morem illius terrae  
aquis erat humida.

Porro circa meridiem exivimus montana et in campestria  
loca venimus, vertimusque nos contra austrum statim in  
radicibus montium et in fertilissimos agros venimus, qui  
pleni stabant olivis et fici. Petivimus autem Trutschelman-  
num nostrum, ut spatium manducandi indulgeret nobis in  
umbra arborum illarum, sed noluit dicens, quod camelii one-  
rati ideo non deberent exonerari, nec possent sic onerati fixe  
stare nec sine nobis deberent procedere. Et hoc verum fuit.  
Sic ergo processimus et in asinis sedentes comedimus et  
bibimus ea, quae ad manum habuimus. Sic enim omnes cum  
oneratis camelis incidentes facere (**11a**) necesse est, quia  
stare fixe non possunt sub oneribus, sicut melius patebit in  
transitu deserti. Circa vesperas a montanis declinavimus  
paulatim et in latissimos campos Palaestinac venimus in ter-  
ram Philistinorum contra Ezotum. Protenditur autem haec  
latitudo in latum a montanis usque ad mare mediterraneum  
per tria milliaria teutonica, per longum autem a Joppen et  
monte Ephraim usque in regionem Geraram in Bersabee, et  
in illa planicie sunt civitates sitae multae, praecipue tamen  
quinque, quae erant regales et principales Philistinorum sive  
Palaestinorum, quarum nomina sunt haec: Geth, Accaron,  
Azotus, Ascalon et Gaza. In his quinque civitatibus residuebant  
quinque satrapae Philistinorum, ut patet **1. Reg. VI.** Et omnes hae  
civitates sunt sitae super littus maris magni vel non longe a mari.

Geth fuit ab antiquo civitas gigantium fortium, quam Jo-  
sua, vir bellicosissimus, expugnare non potuit, sicut patet  
**Josuae XI.** Unde et Goliath, quem percussit David, Gethaeus  
fuit, ut patet **1. Reg. XVII.** Et **2. Reg. 21.** recitatur de uno  
Gethaeo magno, quod habuit **XXIV** digitos; et multa alia  
dicuntur de Geth in scriptura sacra.

Dicunt etiam historiae, quod sanctus Christophorus fuerit  
Gethaeus. Et hodie homines ibi nati robustiores et bellicosio-  
res esse dicuntur. Dudum autem fuit destructa et mansit  
parvum villagium, quod Giblim nunc dicitur, et non longe a  
Joppen et jam via maris [a] portibus distat. Sub Geth  
descendendo per littus maris magni ad duo milliaria teutonica

